Illud apud me saepenumero optavi, doctissime Manuti, ut quantum lucis attulisses utrique literaturae, non solum arte tua formulisque longe nitidissimis, verum etiam ingenio doctrinaque neutiquam triviali, tantundem emolumenti illa tibi vicissim rettulisset. Nam quantum ad famam attinet, dubium non est quin in omnem usque posteritatem Aldus Manutius volitaturus sit per omnium ora, quicunque literarum sacris sunt initiati. Erit autem memoria tua, quemadmodum nunc est fama, non illustris modo sed favorabilis quoque et amanda; propterea quod (ut audio) restituendis propagandisque bonis auctoribus das operam, summa quidem cura, at non pari lucro, planeque Herculis exemplo laboribus exerceris, pulcherrimis quidem illis et immortalem gloriam allaturis aliquando, verum aliis interim frugiferis magis quam tibi. Audio Platonem Graecanicis abs te formulis excudi, quem docti plerique iam vehementer exspectant. *Aldo Manutio Romano, viro undecunque doctissimo.*

Aldo Manutio Romano

viro undecunque doctissimo. Venetiis.

SACRIS